

IOAN. ROBERTI  
ANTECESSORIS AVRELII,  
RECEPTÆ IVRIS CIVILIS  
LECTIONIS, LIBRI II.

*Cum indice capitum utriusque libri.*



*Roberto de la Ser*  
*na*



*Roberto de la Ser*  
*na*



AVRELIÆ

Ex typographia Eligij Gibierij,  
Vniuersitatis Typographi.

CVM PRIVILEGIO REGIO.

M. D. LXXI.

*Num. 46. Cap. 8. non. A1.*



SPECTATISSIMO ERVDITIS-  
SIMO QVE VIRO D. HIERONYMO  
Thennero, serenissimi Danix Noruegiaeque Re-  
gis Cancellario, Ioannes Robertus, Antecessor  
Aurelius, S.

**N**ON exiguum quidem literarum stu-  
diis adiumentum adferre videntur, Spe-  
ctatissime Thennere, qui deprauata  
veterum scripta emendant, & abster-  
sis, quas vetustatis situs, librariorum-  
que error asperserit, maculis, nitore suo  
restituunt. Quoque id & maius est, & maiorem inde lau-  
dem ij referunt, quibus istud successit, eò plures in id certa-  
tim incumbere conspiciamus, ut eius cui se addixerint disci-  
plinæ Coryphaeos emaculent. Qua in re ut illis magnam  
habendam gratiam duco, qui intra modum consistentes ve-  
tusta quæque exemplaria conquirunt, & ex variis lectio-  
nibus quas deprehenderit, illam quæ authoris sententiæ  
magis conueniat, restituunt: quin & illis applaudo, qui  
nonnunquam id exigentibus deploratis alioqui locis, cum  
exemplarium ope destituantur, ipsi etiam αὐτοπιτοὶ idem sin-  
cere præstare conantur: ita mihi malè de literis meriti vi-  
deri solent, qui cum nihil opus sit, & nullius exemplaris te-

# IOAN. ROBERTI

ANTECESSORIS AVRELII,

RECEPTÆ IURIS CIVILIS

lectionis liber primus: in quo de additis

negationibus agitur.

*Non rectè addi negationem Scauola in l. Qui Roma.*

*§. Callimachus. ff. De verb. oblig. & quis*

*sit eius. §. sensus.*

## CAPVT PRIMVM.



RECEPTAM communi studioso-  
rum vsu, omniumq; etiam exem-  
plarium fide comprobata[m] Iuris  
civilis lectionem, primus mihi vi-  
detur paulò liberius in multis im-  
mutasse Andreas Alciatus: quæ  
tamen, si & tot præclara alioqui eius scripta spectes,  
& cum aliorum vel vno aliquo libello cõferas, pau-  
ca fient. Ab eo igitur qui cæteris signum ad idem  
audendum sustulisse videatur, auspiciandum duxi-  
mus, vt iuxta libri huius propositum, ea (tametsi  
haud adeò multa sint) quibus negationem perpe-  
ram addidisse nobis visus sit, paucis excutiamus.  
Atq; illud primum, quod is cap. 19. lib. 10. Parergon,

A. j.